FONDAZIONE BRUNO KESSLER
BIBLIOTECA

HEYJOE

ANTONINUS PAPILLON, *Quaedam ex opusculis de natura Ord. Praed.*, in «Archivum Fratrum Praedicatorum» (ISSN 0391-7320), vol. 6, (1936), pp. 379-382.

Url: https://heyjoe.fbk.eu/index.php/afp

Questo articolo è stato digitalizzato della Biblioteca Fondazione Bruno Kessler, in collaborazione con l'Institutum Historicum Ordinis Praedicatorum all'interno del portale HeyJoe - History, Religion and Philosophy Journals Online Access. HeyJoe è un progetto di digitalizzazione di riviste storiche, delle discipline filosofico-religiose e affini per le quali non esiste una versione elettronica.

This article was digitized by the Bruno Kessler Foundation Library in collaboration with the Institutum Historicum Ordinis Praedicatorum as part of the HeyJoe portal - History, Religion, and Philosophy Journals Online Access. HeyJoe is a project dedicated to digitizing historical journals in the fields of philosophy, religion, and related disciplines for which no electronic version exists.

Il materiale sul sito HeyJoe è disponibile sotto licenza CC BY-NC-ND 4.0: può essere scaricato, stampato e condiviso per uso non commerciale, con attribuzione e senza modifiche.

The material on the HeyJoe site is available under the CC BY-NC-ND 4.0 license: it can be downloaded, printed, and shared for non-commercial use, with attribution and without modifications.

FONDAZIONE BRUNO KESSLER
BIBLIOTECA

HEYJOE

Nota copyright

Tutto il materiale contenuto nel sito HeyJoe, compreso il presente PDF, è rilasciato sotto licenza Creative Commons Attribuzione–Non commerciale–Non opere derivate 4.0 Internazionale. Pertanto è possibile liberamente scaricare, stampare, fotocopiare e distribuire questo articolo e gli altri presenti nel sito, purché si attribuisca in maniera corretta la paternità dell'opera, non la si utilizzi per fini commerciali e non la si trasformi o modifichi.

Copyright notice

All materials on the HeyJoe website, including the present PDF file, are made available under a Creative Commons Attribution–NonCommercial–NoDerivatives 4.0 International License. You are free to download, print, copy, and share this file and any other on this website, as long as you give appropriate credit. You may not use this material for commercial purposes. If you remix, transform, or build upon the material, you may not distribute the modified material.





QUAEDAM EX OPUSCULIS DE NATURA ORD. PRAED.

recensuit Antoninus Papillon O. P.

1. Jam abhinc tres annos, in hoc ipso periodico: AFP III (1933), 246-247, breviter descripsi opusculum quoddam anno MDCCL Biterris in Gallia typis editum cui titulus: *Mémoires sur la Canonicité de l'Institut de Saint-Dominique; où Examen de la Question, Sçavoir: Si les FF. Prêcheurs ont été reçûs dans l'Eglise en qualité de Chanoines-Reguliers, et s'ils doivent encore être regardez comme tels? Contre certains Ecrits ou Factums, dans lesquels cette qualité est contestée à ces Religieux. A Béziers, Chez François Barbut, Imprimeur du Roy et de la Ville. M.D.CC.L. Avec Permission des Supérieurs.* Scriptorem assignavi Petrum Jacob O. P. Biterrensem, nominaque sum etiam prosecutus illorum ejusdem Ordinis sodalium qui praefatum opus italice reddiderunt, scilicet Seraphini Lama Neapolitani ac Josephi Allegranza Mediolanensis.

2. Lustris tribus vix exactis, Trecis (Troyes) anno MDCCLXV juris publici factum est aliquod lucubrationis illius compendium inscriptum: *Abrégé des Preuves de la Canonicité de l'Ordre des FF. Prêcheurs extraites d'un ouvrages* (sic) *moderne, par un Religieux du même Ordre, imprimé à Bézier* (sic) *en 1750, par lequel il est prouvé que les Réligieux* (sic) *de l'Ordre des FF. Prêcheurs ont été reçu* (sic) *dans l'Eglise en qualité de Chanoines Réguliers et qu'ils doivent être regardés comme tels. A Troyes, chez la Veuve Le Febvre, Imprimeur-Libraire, Grande Rue près St-Urbain. M.DCC.LXV. Avec Permission.* Est volumen unum in 8°, paginis constans 55 praeter chartam unam non numeratam pro erratis in fine.

Cuinam vindicandum? J. Lelong in: Bibliothèque Historique de la France (editio altera curis Fevret de Fontette, Lutetiae Parisiorum 1768-1778) Suppl. I num. 13735, et A.-A. Barbier in: Dictionnaire des Ouvrages Anonymes (ed. tertia curis O. Barbier, R. Billard et P. Billard, Lutetiae Parisiorum 1874) I, col. 40 illud adscribunt Patri Jacobo Patritio Nepveu O. P. provinciae Parisiensis alumno. Hic fuit Cenomanus et in patria inter Fratres Praedicatores cooptatus anno MDCCXL. Sacrae Theologiae Doctoris gradu decoratum fuisse constat, etsi tempus quo sit

assecutus non habeo [1]. Conventus Trecensis exstitit Prior quem, ni fallor, anno regebat MDCCLXV [2], quo munere deposito suis Cenomanensibus praepositus est, anno videlicet MDCCLXVII, quos triennio administravit [3]. Florebat igitur adhuc anno MDCCLXX, quam diu autem postea vitam produxerit, non inveni [4].

3. Anno post compendium illud typis commissum, alterum quidem dissertationis Petri Jacob breviarium evulgatum est Avenione, apud bibliopolam Michaelem Faure, sub sequenti inscriptione: *Etat canonial des Dominicains, ou extrait d'une Dissertation excellente et rare, imprimée à Béziers en 1750, pour démontrer que les Dominicains ont été dès le principe de leur établissement et sont toujours un Ordre de Chanoines réguliers dans l'Eglise et dans l'Etat, avec la consultation sur ce point d'un des plus célèbres Canonistes de Paris. Dixerunt: Quis es ? Joan. I. A Avignon, chez Michel Faure, Imprimeur-Libraire, avec Permission des Supérieurs.* MDCC.LXVI. Volumen habetur unum in-12, paginis 62 constans. Insequenti anno, ibidem hoc opusculum denuo typis excusum est sic inscriptum: *Etat canonial des Dominicains ou extrait d'une Dissertation rare imprimée à Béziers en 1750, pour démontrer que les Dominicains ont été, dès le principe de leur établissement, et sont toujours un Ordre de Chanoines Réguliers dans l'Eglise et dans l'Etat. Avec l'Avis d'un des plus célèbres Canonistes et Avocats de Paris sur ce sujet. Dixerunt: Quis es ? Ioan. I. A Avignon, chez Michel Faure, Imprimeur-Libraire. avec Permission des Supérieurs. M.DCC.LXVII.* Etiam in-12°, at paginae sunt 51. Barbier in opere citato, col. 288, priorem tantum editionem recenset, opusculumque vindicat « P. Seconds, prieur de Saintes. » Hic sodalis Praedicatorum Ordinis, cujus agnomen alius scripsit Segond, alius Segonds, alius Segnon, nomen autem fuit Jacobus, natus est Villae Francae Rutenorum (Villefranche-de-Rouergue) anno MDCCXXVIII, et solemnibus se votis obligavit anno MDCCXLVI in Provincia Tolosana O. P.; qui tamen studiis in ea provincia, praesertim Burdigalae absolutis [5], et postquam in

[1] Ch. Cosnard, Histoire du Couvent des FF. Prêcheurs du Mans, p, 95.

[2] A.-A. Barbier, op. cit., I, col. 40.

[3] Ch. Cosnard, op. cit., p. 95.

[4] Id. ibid. p. 109.

[5] Index Conventuum et Fratrum Provinciae Tholosanae O. P, anno 1751 (MS. in Tabulario Domus Generalitiae O. P.: « Couvent de Bordeaux... Etudiants en théologie... Jacques Segonds... »

Montalbanensi coenobio aliquandiu degerit sacerdosque inauguratus [1], in Franciae provinciam inter annos MDCCXLVI et MDCCLVI transferri obtinuit; quo anno in conventu Engolismensi commorabatur [2]. Theologiam Pictavii legit ac lauream in Ordine consecutus est. Eodem circiter tempore, anno scilicet MDCCLX, duas typis commisit dissertationes, alteram gallice, alteram vero latine de attritione. Anno autem MDCCLXVII in Castanaciensi (Chataigneraie) coenobiolo commorabatur [3]; anno MDCCLXXXIV in Xantonensem conventum venit cujus aliquando Prior exstitit. Obiit die XXIII Aprilis MDCCLXXXIX. [4]

4. Eodem anno eodemque loco, at sine ullo typographi nomine, juris publici factum est aliquod opusculum inscriptum: *Idée de l'institut de Saint Dominique, ouvrage historique dans lequel on voit quel est le caractère essentiel et distinctif des Dominicains entre les divers autres Corps du Clergé. Dixerunt: Quis es, ut responsum demus? Ev. S. Joan. c. I. A Avignon, M.DCC.LXVII.* Volumen exstat in-12°, pp. II-114 praeter folium tituli et folium album in fine. Nonnulla inter elucubrationem hanc et superiorem habetur similitudo; attamen variis in locis adsunt discrimina magni quidem momenti, ita ut hoc Avenionense opusculum alterum quod nunc recenseo haud haberi potest uti editio altera compendii operis Petri Jacob a Jacobo Segond exarati. Cuinam igitur adscribendum? Nulla de eo invenitur notitia in operum anonymorum repertoriis. Attamen in collectaneis: La France Littéraire, t. I p. 333 et t. II p. 420, qualiscumque exstat notitia de quodam opusculo in-12 inscripto: *Notice Historique de l'Institut de S. Dominique* typisque exscripto decurrente eodem anno MDCCLXVII. Sed cum in his collectaneis tituli ut plurimum non adeo verbum referantur, opusculum de quo agitur idem esse atque illud quod juxta descripsi vix dubium. Praefata autem collectanea opusculum istud vindicant Petro Maubert O. P. patria ac forsitan professione Rothomagensi, certo provinciae S. Ludovici Regis alumno [5].

---

[1] Index Conventuum et Fratrum Provinciae Tholosanae O. P. anno 1753 (MS. ibid.): « in Conventum Montisalbani... p. Jacobus Segond... »

[2] Series alphabetica omnium fratrum Provinciae Franciae (MS. ibid.): « Segond Jacobus, Conventus Engolismensis, natus 1728, professus 1746. »

[3] Series alphabetica Conventuum Provinciae Franciae anno 1767 (MS. in: Archives Départementales de la Côte d'Or, Dijon, série H, liasse 937): « Segons Jacobus, Conventus Castanariensis, Doctor Ordinis, natus 1728, professus 1746. »

[4] Nouvelles Ecclésiastiques, 1er Décembre 1760, p. 211.

[5] Acta Capituli Provinciae S. Ludovici Regis... 23 Junii 1773.

5. Deinde, sine anno, loco et typographi nomine, juris publici factum est quoddam opusculum cui titulus: *Exposé de l'état, du régime, de la législation des Freres* (sic) *Prêcheurs*, in-4°, duabus columnis ac paginis 42; quod denuo publicatum est paululum postea: *Exposé de l'état, du régime, de la législation et des obligations des Freres* (sic) *Prêcheurs*, in-12°, pp. 124, etiam sine ulla nota. Barbier in op. cit. II, col. 383, signat MDCCLXVII ut annum hujus editionis, ac nomen facit auctoris: « le P. de la Berthonie. » Tertia vice opusculum istud formis litterarum exscriptum est Versaliis, anno MDCCCLXXII: *Exposé de l'état, du régime, de la législation et des obligations des Frères Prêcheurs. Versailles, Beau, Imprimeur-Libraire, rue de l'Orangerie. 1872.* In-4°, pp. 72. In hac editione nomen auctoris exprimitur in breviori fronte opusculi: *Mémoire publié par le P. Laberthonie* (sic, uno tantum verbo) *des Frères Prêcheurs.*

Insuper nonnullae insertae sunt notae, haud usque felices, ab editore qui fuit, ni fallor, P. Ceslaus Bayonne O. P. (1832-1885). Petrus Thomas Hyacinthus La Berthonye natus est Telone die VII Februarii MDCCVIII ac ibidem inter Fratres Praedicatores cooptatus; mox autem Novitiatum Generalem in suburbio S. Germani Parisiensem adiit, ac eloquentiae sacrae fama claruit, ad cujus conciones adeo multi confluebant, ut majora Parisiensium templa, velut aedes S. Eustachii, auditorum frequentiam haud caperent. Annis MDCCXLIII-MDCCXLV Conventum Atrebatensem rexit [1]; ab anno autem MDCCLXVII ad annum MDCCLXXI clavum Provinciae Gallo-Provinciae tenuit. Telone obiit die XV Decembris MDCCLXXIV. [2].

---

[1] J.-J. Proville O. P., Histoire du Couvent des Dominicains d'Arras, p. 417. Adisis descriptionem quam de hoc MS. exaravi in AFP III (1933), p. 225.

[2] Ex adnotatione quadam G. Fabricy O. P. (1726-1800) in: Librorum quibus utitur Fr. Gabriel Fabricy Ordinis Praedicatorum, S. T. D. Collegii Casanatensis Theologus, et Conventus Regii San-Maximinensis in Gallo-Provincia filius, Catalogus in certas, quoad fieri potuit, materiarum classes distributus. (MS. in Tabulario Domus Generalitiae O. P.) Apud autem diarium: Journal des Curés ou Mémorial de l'Eglise Gallicane, numero 91 (diebus 1 et 2 Julii 1811) p. 1, habetur tantum annus mortis P. La Berthonye.

Mamachi in: Annales O. P., I, p. 462, de solo opusculo Petri Jacob qualecumque fecit verbum.